

Franckesche Stiftungen zu Halle

**Hrn. Erdmann Neumeisters, Pastoris zu St. Jacob in
Hamburg und Scholarchae, auch ... Ober Consistorial- und
Kirchen-Raths, Jubel-Predigt, welche ...**

Neumeister, Erdmann

Hamburg, [1747?]

VD18 13218840

Dn. Joach. Christian. Hofmann, Past. Basthorst. Psalm. LXXXVII. v. 7.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-213164



Dn. JOACH. CHRISTIAN. HOFMANN,
PAST. BASTHORST.

Pſalm. LXXXVII. v. 7.

Canticum hocce viri divinitus inspirati, non eadem, quod dicunt, lance dimetiuntur interpretes. Encomium Zionis putat interpres insignis Geierus in Commentario; vaticinium vero Luc. Osiander in sua paraphrasi &c. Equidem facio cum illis, qui totum Pſalmum de statu ecclesiæ N. T. interpretantur. Etenim v. 1. nobis exhibet Zionem spirituales in montibus fundatam, latissimeque sese extendentem, quam juxta v. 2. Deus Zionis unice amore prosequitur, ob eximia, quæ v. 3. in eadem prædicantur, videlicet de Christo, scilicet *μέγα τὸ τῆς εὐσεβείας μυστήριον*. 1 Tim. III; 16; pertinentia non ad oves Israël solum deperditas, sed & ad (v. 4.) Ægyptios, Chaldaeos, Philistæos, Tyrum cum Æthiopia h. e. omnes gentes, ita ut v. 5. *וְכָל בְּנֵי אָדָם* h. e. homines omnium nationum ibi regenerentur. Hinc necessario requirebatur donum illud linguarum miraculosum, *ὅτι ἦσαν εἰς ἑκάστην τῇ ἰδίᾳ διαλέκτῳ λαλόντων αὐτῶν*, Act. II, 6. *τὰ μεγαλῆα τῶ θεοῦ*. v. 11, cujus effectus egregius fuit regnum Dei, iuxta Pſalmistam, commate 7. quod est justitia, pax & gaudium in Sp. sancto. Rom. XIV, 17. Ultimum comma divini scriptoris nostræ dictum est considerationi. Exercuit illud doctissimos revelationis divinæ indagatores non parum: quidni & me ipsum tantorum virorum minime attingentem fastidium? Scrutinium vero horummet Davidis verborum per aliquot instituemus sectiones.

Sect. I.

De Cantoribus Zionis.

Non animus mihi est profunda antiquitatis perlustrare, et, quosnam intellexerint scriptores tam profani, quam ecclesiastici, per Cantores; inquirere. Ecclesia enim habuit omnino *ἀπ' ἀρχῆς* h. e. interprete clariss. Conrad. Samuel. Schurtzfleisch. in Controvers. Antiquit. Ecclesiast. a D. Walch. ed. p. 429, ab initio, i. e. ab ultimo ecclesiæ christianæ ævo, suos hymnos. Ipse enim Servator & Apostoli *ὑμνήσαντες* exierunt in montem Oliveti, Math XXVI, 30. ut adeo cationes Davidis ecclesiæ N. T. commendarent, & ut imitarentur Apostoli subinde incitamento, Ephes. V. 19. *λαλόντες ἑαυτοῖς ψαλμοῖς καὶ ὕμνοις, καὶ ᾠδαῖς πνευματικαῖς*. Cantores quoque elegerunt insequentibus temporibus, Ministris Ecclesiæ præeuntibus (unde forte ritus Ecclesiæ Evangelicæ remansit, Gloriam in excelsis & Credo, decantandi) dirigentes coetum sacrum, quo nomine celebris fuit schola Cantantium Gregorii Magni. Vid. du Fresne Gloss. Lat. in *Cantores*. Profani non minus Cantorum faciunt mentionem, quibus Acto-



Actores erant Cantores in Tragoediis, ap. Salmaf. ad Vopisc. Aurel. c. VII. Uti itaque Hymnographos ante Sec. IV. non ponunt scriptores, Vid. Schurtzfleisch. l. c., ita hæc sacra cantica hostes ecclesia multis impedire conatibus susceperunt, inter quos Sect. III. p. Christ. nat. extitit Paulus Samosatenus, homo corruptæ indolis & ingenii perversi, qui præterquam, quod Psalmos antiquandos censuit, grande etiam pietatis de Christo mysterium subtili impietate contaminavit, asserente laudato Schurtzfleischio ex Eusebii Hist. Eccles. L. VII. cap. XXX. p. 282. Quid vero auri sint & sentiant Novatores hodierni, lege ap. Cel. Doct. Schelguig in Synops. p. 372. & in Supplem. p. 211. Ego vestigiis insisto Psalmistæ, pervestigans tantum, quinam sint Cantores Zionis. שרים dicuntur idiomate ebræo, quos proprie vocamus musices peritos, artificialiter canentes, prouti Barsillai respondet Davidi: num audiverim amplius vocem Cantorum & Cantatricum? 2 Sam. XIX, 36. Et Ps. LXVIII, 26: Præcesserunt Cantantes, post pulsantes; in medio chorus virginum tympanizantium. Sed Sp. Sanctus respicit recens natos in Zion, novellos ejus cives, Christianos, non vero *Heilandianos*, quam avet denominationem Zinzendorffius ille neoterice, Vid. Act. Eccles. P. V. p. 74, in gratiam sectæ universalis, quæ ei curæ cordique est, & quam potius vocabis *Heiliosianos*. Veri enim christiani in cordis profunditate perferunt regni Dei præsentiam, exhilarantur in Domino & amant nihil magis, nisi glorificationem nominis divini (quæ vox Latine veteri quidem ignota, in sacris Christianorum tamen sapius obvia, optime huc quadrat) in recordationem beneficiorum innumerabilium & quotidianorum tam circa spiritualia, quam corporalia bona. Hinc exhibent se gratos externe cantando voce & interne cordis fiducia, reverentia & gaudio. Non Fanaticorum more, aureis Apostoli verbis abutentium, Ephes. V. silentio Quietistico; sed Hieropsalten, qui hoc in genere laudum excellat, sequentes: Misericordias Jehovæ æternum canam; in generationem & generationem notam faciam veritatem tuam ore meo. Ps. LXXXIX, 2. Voce canora exclamant: Jubilate Jehovæ omnis terra! Servite Jehovæ in lætitia, venite coram illo in cantu! Psalm. C, 1. 2. Canunt ex intimis visceribus & anima: Benedic, anima mea, Jehovæ, & omnia viscera mea nomini sanctitatis ejus! Ps. CIII, 1. Cantant exercitiis musicis, tam viva voce, quam instrumentis, uti dicitur, de agno stante super montem Sionis, ubi Johannes audivit vocem citharoedorum & citharizantium citharis suis. Apoc. XIV, 2. M. Joh. Herbinus quidem in Kioviensibus Cryptis c. XIV, p. 155. 156. ægre fert Musicam hodie artificialiter excultam. Nova, inquit, & satis quidem levi arte numerisque celerrimis ita in ecclesia pipiunt, aut soluto in luxuriam & concusso cachinno boantes iremunt, ut ridere eos aut insanire voce sola cantantes existimes haud injuria. Qua vocis lascivia devota orantium fidelium mentes non impediuntur duntaxat in religione sua, sed a vero Dei spiritu
arque



atque laudibus impie advocantur, ut non jam Deo, non Christo, gloriosa ipsius gratia, sed cantori italo aut Gallo laus artis Musica a vulgo in ecclesia attribuitur. Sed ignoti nulla cupido, & inexperto huic artificium artisque incrementum videtur impietas & conamen absurdum. Artis cuiusque est, ut excolatur ad summum. Imo divinitus inspiratus Psalter in iungit Cantoribus Zionis, ut extollant cantum. Ps. LXXXI, 3; id quod sine artificiosa vocis & instrumentorum applicatione fieri nequit. Imprimis admonitio Spiritus latitiae huc pertinet: Reddite egregium pulsare cum clangore! Psal. XXXIII, 3. germanice in versione Lutheri, machts gut auf Saiten Spiel mit Schalle! Interim oblivioni non tradendum illud Davidis, canite maskil, flüglisch, h. e. juxta Geierum, non bacchantium more vocibus incompositis ac tumultuantibus, sed cum recta intelligentia ac devota attentione.

Sect. II.

De modo Canentium.

Scriptoribus antiquitatum & Musices haud ignotum est, quod apud veteres modi varii fuerint, Phrygius, Lydius, Dorius, Myxolydius, Hypodorius, Hypolydius, Hypophrygius, Hypermixolydius: Vid. Cornel. Agrippa de Vanitate Scientiarum. p. m. 35. seq. Hodierna Musicorum cohors amat vel planum, choralem & Gregorianum sic dictum modum, & figuratum, qui tamen merito aliter instituitur coetu in profano, quam ecclesiastico. De iis vero nobis in praesenti non erit sermo. Sequimur filum Davidis, qui Canentes nostros vocat חללים tripudiantes sive saltantes. Vox est usitatissima de choreis saltando latantium, instar filiarum Schiluntis exeuntium ad tripudiandum. Jud. XXI, 21. Et quid saltatio sit, pueris est apertum annis ab ineuntibus. Interim stomachatur saltatui plebs Fanaticorum, Pietistarumque, nescio ex quanam superabundanti sanctitate. Turgidi enim Pharisaismo spirituali adiaphora respicientes homines faciunt truncos, latitiam omnem, extra sectarium conventum constituti, adimunt generi humano, quam tamen instillat divinus Apostolus Christianis: Gaudete cum gaudentibus! Rom. XII, 15. Quid vero magis deridendum, quam gaudentes sibi imaginari sine gaudii latitiaeque signis? Si nihil peccaminosi habet Musicorum ars, instrumentis musicis, tibiis, tubis, & fidibus ad mensuram, vulgo dem Tact, harmoniamque canere, quod gestibus peragitur variis: quomodo improbareris artem ad mensuram sub certis gestibus & composito corporis motu saltandi? Certe plane ignarus est artis saltatoriae, qui hanc artem ipsam respuit. Est enim ars homines naturaliter incompositos aptis moribus instruens, ut in conversatione se exhibeant humanos, iuxta decorum & sibi invicem praeveniant reverentia, prout apostolica requirit doctrina, imo & inter latantes ut ne saltando sese gerant insulsos & ridiculos, sed ut ornate, decenter & absque ulla saltent morum gestuumque indecentia.



tia. Tantum abest, ut divinus Spiritus saltationes improbet, ut sapissime sub arte saltatoria latantium spiritualiter depingat statum. Idem legere est presenti in Davidis eloquio. Non vero omnes eodem pervestigant modo Sp. Sancti sensum. Alii hic quarunt gaudii abundantiam; dum non obiter scilicet Christiani, sive fideles N. Testamenti, uno alterove verbo, hilares se declarant, sed toto corpore, saltibus, cantibus &c. Alii, cum Coccejo, interpretantur de concordia & ordine gaudendi inter fideles, uti quilibet nempe saltantium teneat suum locum & ordinem. Enim vero gestus cantilenis immiscere sacris τὸ τέλεον divini transiret cultus. Ordinem vero amamus cupimusque medullitus, maxime quoque concordiam in Spiritu, τὸ ἀντὶ Θεοῦ, Philip. III, 16. Attamen potius heic loci cogitandum putamus de vera cordis latitia & interno Spiritus Sancti motu. Saltatio est motus corporis vehementior; & in Spiritu gaudentes commoventur eximie, cogitantes, dicentes, canentes: Magnificat anima mea Dominum, & exultavit Spiritus meus! Luc. I, 47. Saltatio est publicum gaudendi indicium; & corda fidelium publicum produnt testimonium de motibus gaudii interni: In Jehovah gloriatur anima, audient miseri & gaudebunt. Magnificate Jehovah mecum; & exaltabimus nomen ejus una! Psal. XXXIV. 3. 4. Et quid sibi volunt, quæso, hæc Servatoris nostri verba: χαίσετε ἐν ἐλπί τῇ ἡμέρᾳ, καὶ σικετήσατε? Luc. VI. 23.

SECT. III.

De Materia Cantantium.

Verba כל-מערי בני fere unamini reddiderunt concentu Interpretes: Omnes fontes mei in te. Sed beatum Megalandrum nostrum Lutherum legisse מערי pro מערי putat Celeber. Geierus, germanice ita vertentem, werden alle in dir singen eins ums ander; vel secutus est, inquit, Chaldaum, quoad omnis laudis species. Mihi hoc quidem non videtur, veluti deinde apparebit. Fontes interim alii sibi eligunt alios. Incomparabilis Glassius in Philolog. Sac. ed. Lips. 1713. p. 1708. fontes vitæ, tam temporalis, quam spiritualis & æternæ; Geierus fontes resectionis, mundationis & felicitatis; R. Kimchi &c. fontes cogitationis (ex corde enim tanquam fonte emanant cogitationes) elegerunt. Coccejus vero per fontes filios Dei intelligit. Vid. pluribus Comment. Doct. Geieri. Verumenimvero Kimchii & Cocceji iudicamus sententias coactas & minime quadrantes; Geieri & Glassii cogitata uti bona esse non negamus, ita simul solaminis plenas & scripturarias apprehendimus. Sed materia substrata & contextui convenientius esse videtur, explicare de fontibus latitiæ. Fons enim iuxta Glas. I. c. in spirituali sensu legitur ac intelligitur de bono spirituali. Jam vero bonum spirituale cantantium in Ecclesia fidelium est gaudium spirituale, sive latitia a Sp. regenerationis, qui est Spiritus latitiæ, Ps. LI, 14. Et ibi occurrunt fontes latitiæ quamplurimi:



plurimi: fontes ex nativitate, passione, resurrectione, ascensione Christi, missione Spiritus & Evangelii. Omnes fontes latitiae hi sunt in Domino Jesu, prout tempora Festorum in Ecclesia exposcunt & occasio cultus divini. Et huc respicit, uti quidem sentio, b. Lutherus in versione, quod intime & eximie gaudentes Christiani sint canturi alternatim, non uti praecentor solum & respondens, sed secundum fontes latitiae, aliis in festis alias cantilenas, semper vero in Domino Jesu, ac si omnibus fere diebus Dominicis Feriisque sanctis uno ore, cordeque canerent: Jesu meum gaudium! Jesu meine Freude!

Sect. IV.

De Zionis gaudio praesenti.

Ad gaudium, quod militans invenit Ecclesia in Domino Jesu, haud immerito referimus quoque latitiae fontes, qui in eam manant ex missione Ministrorum verbi & praedicatione eorum Evangelii Christi, ex quorum ore quippe exeunt flumina orationum, irrigantia & reficientia defessos miserosque. Quo diutius itaque Celeberrimorum, Egregiorumque Doctorum Ecclesiae perdurat missio ad coetus fidelium instruendos, eo major sit, necesse est, latitiae Zionis spiritualis. Et o tempora felicia! quae nos reservarunt gaudiis ejusmodi in VIRO Summe reverendo atque Doctissimo, Dn. Erdman Neumeistero, Past. Hamb. ad Div. Jac. celebrandis! Missus est VIR Cleberrimus ante quinquaginta annos in Dei vineam; missus, ut praedicaret Evangelium non instar Novatorum; missus, ut praedicaret Evangelium non instar Novatorum; missus ut fulcrum ecclesiae, testis & defensor veritatis insignis; missus ut latificet oves sibi fideliter demandatas in pascuis nutrimenti spiritualis. Et o quam egregie praestitit munia sibi divinitus demandata! Hinc effunditur gaudium in Zione; non Hamburgensi solum & in celeberrima Familia, sed in diffitis etiam Germaniae regionibus. Hinc quoque nos exultamus in Zione, anima tripudiat, & cor iubilat in absentia. Canite mecum, VIRI Fratres (nemini cedo) Fratres Zionis orthodoxi (Veri, non falsi Zionis fratres passim in vicinia errantes & seducentes animas Servatoris innoxias)* Canite Canticum novum Bono & Optimo Neumeistero! Canticum plane novum hactenus Seni huic laudabili ac venerabili Ecclesiaeque Patri inauditum! Canticum de Jubilæo Ejus ministeriali latissimo! Deus Ter Optimus Terque Maximus ad seros perduxit annos Patrem sincerum, Exemplar Filiorum egregiorum, de quo valeat illud Isocratis, illa boni parentis

* Non nemo barbatus & antesignanus ex illis Hamburgi querebat ex juvene, filio mercatoris, an nosceret hominem? affirmando respondentem porro interrogabat: quot sunt hominis partes? respondit juvenis, anima & corpus. Minime regerebat quærens, sulphur, mercurius & sal, Ulimum in morte duntaxat remanet. En praeclare doctos fratres Zionis, vel potius inferni!



tis imago, Orat. I. ad Domonicum p. m. 2. Οὐ μὲν ἀλλὰ καὶ ταῖς τῷ πα-
 τρὸς προαιρέσεσι ἀναμνηθεὶς, οἰκτεῖον καὶ καλὸν ἔχεις παράδειγμα τῶν ὑπ' ἐμῶν λε-
 γομένων· ἐδὲ γὰρ ἐλγωρῶν τῆς ἀρετῆς, οὐδὲ θανάτου διέτελες τὸν βίον. Ἀλλὰ,
 τὸ μὲν σώμα τοῖς πόνοις ἐγύμναζε, τῇ δὲ ψυχῇ τὰς κινδύνους ὑπέμενεν· ἐδὲ τὸν πλε-
 ὄντον παρακαίρων ἠγάπα. ἀλλ' ἀπῆλανε μὲν τῶν παρόντων ἀγαθῶν ὡς θνη-
 τὸς, ἐπεμελεῖτο δὲ τῶν ὑπαρχόντων ὡς ἀθάνατος. Οὐδὲ ταπεινῶς διόκει
 τὸν ἑαυτοῦ βίον, ἀλλὰ φιλόκαλος τε ἦν, καὶ μεγαλοπρεπῆς, καὶ τοῖς φι-
 λαις κοινός. Καὶ μᾶλλον ἐθαύμαζε τὰς περὶ αὐτὸν σπεύζοντας, ἢ τὰς
 τῷ γένει προσήκουσας. Ἡ γὰρ εἶναι πρὸς ἑταιρίαν πολλῶν κρείττω φύσιν
 νόμος, καὶ τρόπον γένος, καὶ προαίρεσιν ἀνάγκη. h. e. Interprete Hieronym.
 Wolfio Oettingensi: Aique adeo, si, quod vitæ institutum patris tui
 fuerit, recedere: domesticum & illustre habebis exemplum eorum, quæ
 a me dicuntur. Nec enim sic exegit ætatem, ut vel virtutem negligeret,
 vel ignaviæ se dederet: sed & corpus laboribus exercuit & animum ad
 pericula paratum habuit: neque pecuniam supra modum amavit: sed &
 bonis suis usus est, ut mortalis, & rem familiarem curavit ut immorta-
 lis. Neque vero vitam abjecte instituit: sed & splendidus fuit & magni-
 ficus, & benignus in amicos: ac sui studiosos pluris fecit, quam genere
 sibi propinquos. Ad amicitiam enim constituendam longe plus esse vi-
 rium in natura, quam in lege: in moribus, quam in genere; in volun-
 tate, quam in necessitate, iudicabat. Servavit nobis Theologum Insigne-
 nem, & Verum Hoseam, filium Beeri, secundum mentem Doct. Tar-
 novii Comment. in Hoseam. p. 17. ubi ita docet: *Verbi Ministri sunt Salva-
 tores, seu Hosea (ministerialiter) & filii Beeri, seu putei illius, unde scaturiunt aquæ
 vitæ. Joh. IV. non cisterna, in quam turbida commentorum humanorum aqua confluit,
 aut hæreticorum limus colligitur. Præterea perspicue omnia tradunt & explanant. Neh.
 VIII. 9. Esa. XXXII. 4. quemadmodum aqua fontana est pura & pellucida, & utrum-
 que nomen hebræum notat. Quod sibi dictum putent, qui omnia subtilibus vel qua-
 sitionibus, vel disputationibus acutis, verbis nimis exornatis, aut etiam linguis exoticis,
 vel minus notis (qualia hodie sunt deprompta ex Philosophia Wolfiana) pro suggestu do-
 centes complent. Non ita Christus, Propheta & Apostoli, qui mysteria illa ardua humili
 sermonis genere per parabolas & similitudines, rudi populo explicuerunt. Custodivit
 Cantorem Zionis, Poëtam spiritu plenum, cujus cantiones sacræ directo-
 res Musices exercuerunt, & animas fidelium sapius recrearunt & adhuc-
 dum reficiunt. Suffulsi Numen benignissimum hunc Erdmannum, imo
 inquam Werthmannum, ut quam longissime superfit in terra. O faustum
 felicissimumque diem! Canite mecum Doctores orthodoxi, Pastores veri
 bonique, Fratres integerrimi! Cantate! Imo comprecamini Zionis Se-
 niori fausta quævis, annos permultos, firmum corpus, animum heroi-
 cum, vires ad tot negotia sufficientes, solamina senectutis plurima, ut
 semper sit, usque ad extremum vitæ terminum, verus Neumeisterus, sive
 Magister & Doctor sanitate corporis & officii fructibus subinde renovatus!*